



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 42. Imperii cura a Carolo V. in Ferdinandum translata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

deerat tamen Maximilianus, qui Ferdinandi Filius jamjam in Germaniam profectus erat. Demum huic cessione una omnes præsertim ambæ Reginæ, tanquam testes subscripserant, dum prius Cæsar, Philippus Rex, & Franciscus Erasco, qui utrique a secretis erat, hujus abdicationis diploma suo firmaverant chirographo. Absolutis hisce solemnibus Carolus in suum cubile se recepit, comitante illum ejus Filio, qui surrexerat, & demum sub umbraculo in throno duobus gradibus sublimi confidens officiosas omnium Procerum, ac Nobilium gratulationes exceperat, hac solemnitate ultra horam protracta.

§. XLII.

Imperii cura a Carolo V. in Ferdinandum translata.

Cum Carolus penitus sese publicis curis subducere jam dudum decrevisset, hinc cuncta ad Imperii abdicationem necessaria parare cæpit, illudque in Ferdinandum transferre statuit; hic enim nunquam Philippum in Romanorum Regem eligi voluit, eo quod hanc dignitatem ad suum filium devolvi peteret. Porro hac in re, ut Scriptorum nonnulli testantur, Cæsar absque Summi Pontificis beneplacito nil decernere audebat; quapropter datis ad Paulum

Sæc. XVI.
A.C. 1556.

*Gedelerius
de abdtc. Imperii a Carolo V.
Belc. comm.
l. 27. n. 37.*

Sæcul. XVI. lum IV. literis totum hoc negotium Car-
A.C. 1556. dinalibus Hispanis tum Romæ agentibus commendabat. Verum Pontifex Carolo infensus, eumque molestare intentus flecti haud poterat, Carolus tamen Pontificis pertinaciam flocci habuit, cœptoque Consilio ulterius insistens abdicationis diploma (*) Cæsareo sigillo

(*) Hujus diplomatis tenor est sequens:
Carolus Quintus &c. Reverendissimi, Venerabiles, Illustres, amici, & Cognati charissimi, similiter Generosi, Nobiles, & Spectabiles, devoti, & fideles dilecti: Cum multis, & gravissimis causis moveamur, & maxime quod ætate, ac continua molestia infirmitatis, debilitatis, omnibusque viribus corporis ad res obeundas necessariis destituti simus, & jam longo tempore constituerimus, Serenissimo Principi Regi Angliæ, & Hispaniæ regna nostra tradere, & consueta nostræ Aulæ Sede relicta huc concesserimus ad naves: quibus omnibus necessariis instructis, cum venti secundi afflaverint, velificemur, nullo hoc iter nostrum, nisi solo Deo impedituro: Unde cum propter talem absentiam administratio Sacri Imperii ad Serenissimum, & potentissimum Principem, Ferdinandum Regem Romanorum, Hungariæ, atque Bohemiæ, & Fratrem nostrum charissimum, ut legitime electum Romanorum Regem, & post nos in ea,
 abs-

figillo munitum Sudburgi in Zelandia **Sæc. XVI.**
 die septima Septembris Anno Domini **A.C. 1556.**
 millesimo quingentesimo quinquagesimo
 sexto expediri jussit. Hoc idem diplo-
 ma

*absque ulla contradictione proximum Successo-
 rem, pertineat, eique sæpius multis retroactis
 annis in nostra absentia nomine nostro magna
 fide præfuerit, sustinendo vere fraterna, atque
 benevola sollicitudine, gravissimum Imperii ad-
 ministrationis onus: ideo ne Respublica Chri-
 stiana, maxime Sacrum Imperium, nobis pro-
 cul absentibus aliquod detrimentum (id quod
 Deus avertat) patiat, & quo prædictus no-
 ster frater Rex Romanorum negotia Imperii
 majore auctoritate tractare possit, volumus, &
 constituimus, ut tanquam Rex Romanorum per
 se absolute, citra nostram tractationem, habeat
 potestatem faciendi, tractandi, & mandandi,
 quæcunque ad dignitatem, commodum, & aug-
 mentum sacri Imperii necessaria, & opportuna
 videbuntur in modum, quo nos ut Imperator,
 & Rex Romanorum faceremus.*

*Et sane nihil magis in votis habuimus, & expe-
 tivimus, quam ante institutam professionem in
 civitate nostra Imperiali Ratisbona comparere,
 & vobiscum negotia publica deliberata ad ex-
 optatum finem deducere, sacrique Imperii regi-
 men præfato Regi, Romanorum, fratri nostro
 dilecto, in publico conventu committere, cum
 dispo-*

Sæcul. XVI. ma Guilielmo Naffovio Orangii Princi-
 A.C. 1556. pi, Georgio Sigismundo Heldo S. R. Im-
 perii Pro-Cancellario, necnon Wolf-
 gango

dispositione, ut ipse ei nomine nostro præset,
 Et commotione ad præstandam illi debitam obe-
 dientiam. sed invalidudo nostra, nota cuilibet
 passa non est, ut itineri tam longo, Et maxime
 terrestri nos committeremus; præterquam,
 quod maxime consultum est visum, non negligere
 occasionem, quæ hoc tempore navigationi quam
 maxime commoda esse solet: quare cum ad in-
 dicta Comitæ personaliter non venerimus, nec,
 quod in votis nostris erat, alias susceptas ra-
 tiones ad constitutum, Et exoptatum finem per-
 duxerimus, ad minus volumus dilectioni, Et
 devotioni vestræ, vobisque hoc edicto institutum
 animi nostri patefacere, Et expresse vobis uni-
 versis, Et singulis mandare, atque injungere de
 potestate Imperiali, tenore præsentium, sub gra-
 vissima indignatione, Et pœna, ut, quemadmo-
 dum dictum est, fidelitatem, Et obedientiam
 Regi Romanorum præstetis, Et eum vice, ac
 nomine nostro in omnibus edictis, mandatis, Et
 actionibus vereamini, nec ei in re ulla repu-
 gnetis, sed eum omni cultu prosequamini, non se-
 cus, ac erga nos in Imperio existentes observaturi
 essetis, nec aliter faciatis, aut nobis persuade-
 ri sinatis, in quantum quisque vestrum gravis-
 simam nostram indignationem effugere voluerit.
 Hæc est expressa, Et ultima voluntas nostra.

gango Hallero, quem a secretis habuit, Sæcul. XVI.
A.C. 1555.
tradebat, eisque negotium dabat, ut tanquam Cæsarei Oratores hoc diploma in proximis Imperii comitiis exhiberent, & Principibus Electoribus proponerent, illudque unacum scepro, corona, aliisque Cæsareæ dignitatis insignibus Ferdinando Romanorum Regi traderent.

§. XLIII.

Cæsaris profectio in Hispaniam.

Hi Legati demandatum sibi negotium non nisi biennio post exequiebantur, nec certa hujus cunctationis causa in comperto habetur; forte tamen conjicere licet, id propterea factum, quod Carolo V. e Belgio solvente, atque induciis inter Franciæ Regem, & Philippum rescissis quivis de futuro belli successu suspensus hæreret, vel forte interea tribus S. R. I. Electoribus vita functis, totidemque aliis succedentibus comitia celebrare haud consultum fuisset creditum. Ut ut res se habuerit, id omnino extra dubii aleam positum est, quod Friderico Electori Palatino paulo ante e vivis erepto subrogatus fuerit Otho Henricus, qui Augustissimæ Domui Austriacæ parum favebat. Pariter mortuo Joanne Trevirensi Archiepiscopo, qui ex Hembergenium Comitum familia erat

*Thuan. l. 37.
Strada. l. 1.
Scard. oper.
hist. tom. 2.
p. 1895.*